DE PATHOLOGIA SCORBUTI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE V. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS WILCKINGHOFF
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
E. RAVE, MED. ET CHIR. DR.
F. BAHLMANN, MED. ET CHIR. DD.
F. FALGER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO,

SUMMOPERE SIBI COLENDO

ENGELB. MORSBACH,

IURIS UTRIUSQUE DOCTORI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Saepenumero et omni fere tempore inter medicos, qui de scorbuto scripserunt, disputatum est, num morbus ille, quem nos scorbutum vocamus, medicis veteribus cognitus fuerit, an tempore recentiori ortum suum ex causis momentisque novis et noxiis traxerit. Negari non potest, in libris medicorum veterum varias morborum nonnullorum descriptiones inveniri, quae cum malo, a nobis »scorbutus« vocato, maxime consentiant. Jamjam *Hippocrates* (1) variis locis de morbo quodam loquitur, quem εἰλεὸς αἱματώδης nominat; liceat mihi, pauca ejusdem verba, quibus morbum significat, afferre: »ex ore malus odor exspirat, »a dentibus gingivae abscedunt et ex naribus san»guis effluit. Interdum vero ex cruribus ulcera erum»punt. Et haec quidem sanescunt— alia vero exoriun»tur. Color est niger et cutis tenuis.«— Alii vero putant, *Hippocratem* scorbutum sub nomine σπλὴν μέγας descripsisse; dicit, in hominibus liene illo magno affectis, ventrem inflari, tum lienem intumescere, aegro-

---

(1) in libro de affectionibus internis; edit. Foësio p. 557.

tum colore nigro indui, aures et gingivas malum odorem dispergere, illasque a dentibus abscedere, et in tibiis ulcera erumpere. Quam lienis intumescentiam aquae insalubri et stagnanti tribuit (1) et adjicit, valetudinem febribus morbisque malignis et gravibus afflictam et constitutionem sic dictam atrabilarem maxime ad lienem illum magnum inclinare. Alii quoque medicorum veterum de malis, stomacace et sceletyrbe ab iis vocatis loquuntur et enarrant, morbos hosce in exercitu Romano, qui itineribus maxime molestis ac duris per regiones palustres omniumque indigas rerum, defessus fuerit, milites permultos interemisse. Sic *Plinius* (2) de tali quadam affectione commemorat, qua Germanici exercitus, Rhenum transgressus, maxime afflictus est; vocat illam stomacacem. Verosimile est, stomacacem alios oris morbos, sicuti aphthas fuisse, quod *Lindius* (3) affirmat. Omnia haec si leviter perlegimus, veteres nobis scorbutum novisse videntur; accuratius vero si perscrutamur locos omnes de morbis illis, quoad scorbutum, patet, veterum descriptiones dubias, incertas et imperfectas esse. His accedit, ut veteres nullam fere de terris septentrionalibus habuerint cognitionem, in quibus scorbutus morbus endemicus est, et nulla itinera maritima longiora suscipientes, semper littora maris tenuerint. Quamquam ideo veteribus perfecta cacochymiae scorbuticae cognitio fuisse non videtur,

(1) lib. de aëre, aquis et locis, p. 283.

(2) hist. nat. lib. XXV. cap. 3.

(3) J. Lind, Abhandlung vom Scharbock; nach d. 2ten Ausg. a. d. Engl. v. J. N. Pezold, Riga u. Leipz. 1775, pag. 446.

tamen opinioni eorum, qui omnem medicis antiquis scorbuti notitiam abjudicant, minus adsentiam. Notum est, saeculo trecentesimo primam scorbuti descriptionem perfectiorem repertam esse et saeculo sexcentesimo, in quo, pyxide nautica reperta, majora facta sunt itinera maritima, scorbutum vehementia ac malignitate sua primum medicorum attentionem et observationem in se traxisse.

SYMPTOMATOLOGIA.

Scorbutum, germanice »Scharbock« nomen duxisse, quidam putant a voce danica »Schorbeet«, alii a batavica »Scorbeck« quarum utraque oris ulcera significat; alii autores scorbuti nomen a Saxonum veterum verbo »Schorbock« ventris tormina indicante, ducunt. Celeb. *Lindius* (1) nomen derivat a slavico verbo »Scorb«, quod universim morbum significat, cum scorbutus in regionibus septentrionalibus morbus semper fuerit endemicus.

Scorbutus est morbus, plerumque chronicus systematis assimilationi et reproductioni inservientis, qui maxime ad humorum omnium, imprimis sanguinis dissolutionem fere putridam, partiumque solidarum laxitatem inclinat. Totus scorbuti decursus in stadia tria plerumque dividi solet, quae quidem tam arcte inter se conjuncta sunt, ut certo inter ea dignosci non possit.

Stadium primum.

Sicut in plerisque morbis gravioribus ac vehe-

---

(1) J. Lind, vom Scharbock, pars III. cap. I. p. 436.

mentioribus stadium quoddam prodromorum observatur, ita quoque in scorbuto, veluti: pigritia et lassitudo insolita, ut aeger, laboribus haud defessus, nihilominus quietem et tenebras quaerat; animus est tristis, morosus et difficilis, color faciei, imprimis caruncularum lacrymalium et labiorum pallidus, viridescens. Viri Celeb. *Lind* (1) et *Trotter* (2) signum hocce fere pathognomonicum et certissimum scorbuti instantis proferunt: appetitum aegrotorum maximum ciborum acidulorum et potuum, sicuti et olerum viridium. Imprimis *Trotter* (2) exempla plura enarrat, nautas morbo vix correptos, cogitationem camporum viridium dulcisque aquae et dormientes et vigilantes occupasse, nihilque illis expergefactis, opinione hacce frustrata ingratius fuisse. Quemque nautam de his rebus querentem, otiosum et morosum incedentem, semper fere nonnullis post diebus a scorbuto correptum vidit. Scorbuti incipientis signa sunt: aegrotus de gravitate corporis totius permagna, de lassitudine et defatigatione post paucos et levissimos labores queritur, quibus adeo conficitur, ut genuum titubatio, respiratio anhelosa et dyspnoea inde existat, sicut et in puellis chloroticis saepe videmus; sedendi et quiescendi desiderium continuum adest, neque somno aegrotus se mane recreatum ac roboratum sentit. Dolores musculorum, imprimis crurum lumborumque adsunt, qui rheumaticis similes sunt. Magna animi tristitia et morositas accedit, de qua aegrotus ipse causas proferre nequit; omnia ei indignationem

(1) idem l. c. pag. 134.
(2) Trotter l. c. 29. 30.

movent, nec de ulla re gaudere potest. Facies, priori privata rubore, colore pallido, fere chlorotico, obscuro induta est, sicuti et corporis totius color viridis, obscurior evadit. Cutis scorbuticorum fit sicca, pallida, aspera, fere anserina, interdum quoque proprio modo nitens et mollis; hinc inde maculae existunt, quae sunt colore rubro, coeruleo, tum nigrescente, varia magnitudine et forma, striarum et vibicium instar, ac si cutis virgis flagellata esset. Quae maculae non prominentes, interdum confluunt, primum flavo sensim evanescente margine cinctae, in dies colore obscuriore tinguntur; per totam cutem sparsae, omnium primo videntur in cruribus, tum in brachiis, serius quoque in dorso, pectore et abdomine, haudquaquam aut rarissime in manibus et in facie ipsa observantur. Serius crura et surae tumore et oedemate afficiuntur, quod initio solo tempore vespertino adparet, mane evanescit et digiti imprimentis vestigium diutius servat; hos tumores in terris calidioribus saepe pro maculis illis, de quibus dixi, exoriri, *A. G. Richter* (1) confirmat. Primo quoque tempore aegrotus gingivarum pruritum ingratum animadvertit, illae intumescunt, pallescunt, livescunt, fungosae, maxime molles et laxae redduntur, ita ut minima earum frictione, ciborum masticatione sanguinis tenuis, dissoluti profluvium exoriatur; haec mala gingivae constitutio maxime ad exulcerationem fere putridam inclinat. Aegroti habitus foetidum odorem dispergit et

---

(1) Spez. Therapie nach A. G. Richter; edid. G. Aug. Richter. Wien 1832. tom. V. p. 432.

ipse de gustu putrido queritur. Sensim cachexia increscente, accedit:

Stadium secundum.

Cacochymia scorbutica ad hocce stadium evoluta aegroti vires tali modo jam debilitatae sunt, ut mimimo motu, si exempli gratia e lecto se erecturus est, cordis palpitationes vehementes et animi deliquia, interdum lethalia existant; respiratio est admodum anhelosa, difficillima et quaevis fere inspiratio profundior saepissime lipothymiam adducit. Permagnis ac vehementibus artuum et ossium doloribus aeger vexatur, quos in ipsa ossium medulla sedem habere putat; dolores, quasi rheumatici vagi, noctu aggravati, nunc sternum, nunc costas corripiunt, trahentes, lancinantes sunt per omnia ossa, artus, totumque corpus, ita ut fixum minime servent locum. Artus, inprimis genua valde intumescunt, dolent, fere immobilia redduntur — gonagra scorbutica — nec aeger ullum fere motum sine sustentaculis suscipere potest. Musculorum rigiditas maxima et imprimis surarum durities fere lignea adest, quibuscum singularis quaedam et tendinum et musculorum, praesertim flexorum contractio conjuncta est, ita ut surae ad crura plane attractae sint. Gingivae lividae, decoloratae a dentibus se retrahentes, minima laesione et frictione magnam sanguinis dissoluti copiam fundunt, sanie acri perduntur, immo putrescunt et interdum a sphacelo corripiuntur, qui rarius tantum ad fauces et palatum progreditur. Dentium adamantina crusta deletur, ipsi nigrescunt, dolent, cariosi fiunt;

a gingivis non amplius amplexi, longiores et mobiliores redduntur et tandem vel sponte vel minima motione excidunt. Observatum quoque est, ossa maxillaria ipsa carie affici, sin dentium caries majorem malignitatem nacta est. Adsunt quoque haemorrhagiae copiosae, vehementes ex omnibus fere corporis partibus, quibus haud raro aeger succumbit; nascitur haemorrhagia narium — epistaxis — mox pulmonum — haemoptysis — aut vomitus cruentus, — haematemesis, — interdum mictus cruentus, diarrhoea cruenta, metrorrhagia, quibus sanguis nigerrimus, dissolutus, omni fere fibrina destitutus funditur. Sanguis hicce muco flavo-viridi obtectus est, magnam seri copiam continet, difficile coagulat, nisi forsan complicatio inflammatoria adest, qua, sicut *Dejeux*, *Parmentier* et *Richerand* observaverunt, crustam phlogisticam accipit (1). Saepissime tales haemorrhagiae existunt, licet nulla vis externa, qua forsan vasorum ruptura provocata fuisset, praecesserit; dicit *van Swieten* (2): »se hoc in morbo ex lingua et labiis copiam sangui-»nis exire vidisse, licet detersis his partibus non potuerit distinguere determinatum locum, unde sanguis erumperet« — quod item *Sennertus* (3) testatur. Erumpunt quoque variis locis, imprimis illis, in quibus plures et majores sugillationes adsunt, in cruribus, suris ulcera, quorum signa pathognomonica haec fere sunt: emittunt illa puris saniosi, sanguine mixti, aquosi, acris et foetidi maximam copiam, quod in ulceris su-

(1) Rust's Handbuch der Chirurgie; tom. XIV.

(2) Tom. III. pag. 608. Edit. Parisiens. 1771.

(3) Lib. III. pag. V. sect. II. cap. II. Edit. Lugd. 1677.

perficie ad crustam firmam indurat. Margines sufflati, interdum oedematosi, lividi vel coerulei atque serius fungis luxuriantibus, levi contactu sanguinem fundentibus coronati sunt. Fungi, hepati assato simillimi, saepe incredibili fere celeritate existunt et quotiescunque aut cauteriis aut cultro removentur, semper denuo gignuntur. Fundus ejusmodi ulceris fungosus, coeruleus, latus, forma irregulari est; partes ulcus circumdantes molles calore obscuriore, coeruleo, rubro, oedemate affectae sunt. Haec ulcera scorbutica aut sponte existunt, aut vulnera, quae aeger accepit, in ejusmodi ulcera maligna mutantur. Cacochymia scorbutica hunc gradum assecuta nulli organo, nulli systemati parcit; aeger vehemente, pungente pectoris dolore et tussi cruciatur, sputa mucosa sanguinea ejicit, ita ut scorbutus pleuritidem mentiatur. Tota digestio et assimilatio maxime debilitata est; accedunt symptomata quaedam minus constantia, cardialgia, dolores colici vehementiores, alvi sedes copiosae, aquosae, foetidae, cruentae aut rarius alvi obstructio pertinax observatur. Urina fusca, jumentosa celeriter in putredinem abit, ejusque excretio saepe stranguria et dysuria conjuncta est. Mirandum vero, saepe in hoc scorbuti stadio, in quo omnia totius organismi systemata prostrata sunt, appetitum, praesertim vegetabilium acidulorum recentium sicut in hominibus sanis vigere. Pulsus, jam sub morbi initium mollis et parvus, in dies magis collabitur, parvus, vacuus, irregularis, debilis, celerque evadit; alii pulsum hunc celerem symptoma scorbuti pathognomonicum habent, alii vero, se pulsum, scorbuto adulto

et brevi antc mortem, omnino frequentia normalem tetigisse contendunt (1). Hic locus aptus esse videtur, quo de symptomate quodam cachexiae scorbuticae gravi et organo, structura maxime tenui praedito, periculosissimo, pauca verba disseram, scilicet de ophthalmia scorbutica. In hacce oculi inflammatione tunicae scleroticae praesertimque conjunctivae vasa varicosa sunt et sanguine obscuriore oppleta; posteriore tempore iris quoque inflammationis particeps fit, ejusque structura fibrosa evanescit (2); cornea pallida et splendore priore privata est. Visu aegrotus, photophobia insuper molestissima vexatus, fere omnino caret, palpebrae intumescunt, rubescunt et ex earum glandulis magna muci copia effluit; existunt quoque in palpebris, ipsis oculi cameris et tunicis sanguinis dissoluti extravasationes. Tandem non solum staphylomata corneae, aliique morbi ex ophthalmia hac oriuntur, sed etiam videndi facultas interdum plane perditur. Sequitur:

Stadium tertium.

Omnia symptomata, quae hucusque enarravi, gradum maximum adsequuntur, atque status ille maximo jure comparandus est typho maligno putrido. Haemorrhagiae continentes, vehementissimae, periculosissimae, fere non sistendae, quae et sponte oriuntur, unde patet, humorum et sanguinis praesertim, dissolutionem fastigium summum adeptam esse. Non so-

---

(1) Rust's Handbuch der Chirurgie, tom. XIV.

(2) Juengken's Lehre von den Augenkrankheiten; zweite Auflage. Berlin 1836.

lum ulcera nova, indole pessima praedita, fungosa, pus et sanguinem foetidum fundentia, putrida, immo gangraenosa nascuntur, sed etiam jam dudum cicatrisata denuo erumpunt et putrida, sphacelosa evadunt. Aegri lipothymias crebras, quarum una alteram sequitur, et sponte et ad levissimos aegroti motus provocatas, patiuntur, quibuscum anxietas maxima et respirandi difficultas, pectus constrictum, doloresque fere non tolerandi sub sterno conjuncta sunt. Immanes artuum contracturae adsunt; ossa, imprimis cylindracea mollescunt, intumescunt, incurvantur, fragiliora redduntur, ita ut et spontaneae fracturae nascantur et epiphyses cartilaginesque ab ossibus secedant. Qua ossium degeneratione deformationes insignes, sicuti cyphosis, lordosis, scoliosis etc. gignuntur, ut aegrotum rhachitide laborare primum crederes; haud raro caries, necrosis, spina ventosa et exostoses accedunt, ut in lue venerea ad gradus summos evoluta saepe observare possumus. Pessima et vitae maxime periculosa symptomata, icterus, hydrops, praesertim hydrothorax aut ascites, rarius anasarca (1) superveniunt; urina parca, foetida, sanguine mixta, cito putrescit, renum dolores, diarrhoea cruenta, conficiens, sudores viscidi, frigidi, immo cruenti, quibus maxima virium exinanitio producitur. Interdum quoque symptomata nervosa videntur, paresis aut paralysis completa, convulsiones, marasmus et melancholia; nonnulli vero aegroti usque ad mortem mentis

---

(1) J. Lind, Abhandlung vom Scharbock; aus d. Engl. von J. Pezold, Riga u. Leipzig 1775. p. 187. p. II. cap. 2.

compotes sunt. Sub tali, omnium et solidarum et fluidarum partium constitutione miserrima, qua aegrotus funeri potius, quam homini vivo aequatur, scorbutus in febrem putridam malignam aut hecticam transit, qua, vel haemorrhagiis, alvi dejectionibus copiosis etc. aegri interimuntur.

DECURSUS ET EXITUS.

Totus hicce scorbuti decursus rarius acutus, rapidus est, sed plerumque per plures hebdomades immo menses extenditur, neque etiam eam, quam hucusque descripsi, malignitatem attingit, sed saepenumero singulas tantum partes afficit, nec ulterius progreditur. Scorbutum vero in pejoribus stadiis versantem, qui omnium systematum functionem tantopere prosternit, magnam saepe hominum copiam tollere, nemo mirabitur. Sin tamen scorbutus homines bene nutritos, validos invadit, nec complicationibus malignis inquinatus, diarrhoea parca est, lipothymiae absunt, haemorrhagiae sistuntur et maculae, quod notatu dignum, a medio se decolorare, ulceraque a centro cicatricem ducere incipiunt, sperandum, valetudinem redituram esse. Ex multis exemplis elucet, talem scorbutum, nullo medicamine adhibito, solo regimine et diaeta selecta, exitum faustissimum habere. E contrario autem, diligentissima medici curatio et remedia optima validissimaque impedire non possunt, quin scorbutus aut in mortem transeat haemorrhagiis vehementibus, virium collapsu insigni, animi deliquiis, aut in morbos secundarios, quorum sequentes imprimis memorandi videntur:

1) Magna organorum digestioni et chylificationi inservientium debilitas. Commemoravi supra, cachexia scorbutica non solum gingivas et dentes ita affici, ut excidant aut eorum caries existat, sed etiam organa ipsa digestionis maxime laedi, unde cardialgia, minimus saepe cibornm appetitus vel taedium, dolores colici, diarrhoea sanguinea vel alvi obstipatio pertinax oriuntur. Quid ergo mirum, morbum nostrum, etiamsi ad mortem aegrum non perducat, organorum digestionis morbos, plerumque chronicos, pertinaces relinquere?

2) Hydrops et universalis et localis. Haemorrhagiae frequentes et copiosae ex variis corporis totius partibus et organis, maximam aegri debilitatem provocant, qua una cum dissolutione sanguinis, qui magna seri copia abundat, maxima ad hydropem inclinatio nascitur. Quo modo ex scorbuto tam frequenter hydrothoracem, ascitem, rarius anasarcam ortos videmus, quibus aegrotus posteriore tempore facillime succumbit.

3) Ulcera chronica haud raro remanent, etiamsi signa pathognomonica perdiderint et tanto magis pertinaces sunt, osse subjacente carie affecto, ut remediis saluberrimis resistant.

4) Contracturae artuum, imprimis genu rigiditas, ossium mollities, maxime ad eorum curvaturas vel fracturas inclinans, crurum immobilitas atque dolores chronici, molestissimi ossium artuumque. Omnia haec mala, ad insigniora scorbuti phaenomena referenda, scorbuto devicto, saepius remanent, unde deformationes illae turpes, crura valga et vara etc. gignuntur.

SECTIO.

In cadaveribus hominum, scorbuto interemtorum imprimis insignis sanguinis dissolutio observanda est; reperimus eum in vasis vel cordis cavis obscurum, nigrum, seri magnam, fibrinae minimam copiam continentem; musculos et cor mollia, flaccida, decoloria, marcida, ita ut minima vi dirumpi possint; pulmones, hepar, lienem, ceteraque intestina colore nigro induta et fere putrefacta. In cavo thoracis, abdominis, in pericardio et artuum cavis acre serum invenitur, tam corrodens, ut cutis manus secantis sejungatur et inflammetur, sicut *Lind* et *Poupart* (1) observaverunt. Tunicae mucosae, imprimis tractus intestinalis, non solum maculis innumerabilibus, nigris, coeruleis obtectae, sed etiam nonnullis locis quasi sphacelosae sunt, simili modo per cutem externam, maculae haemorrhagicae sparsae sunt. Ossa mirum in modum in massam quandam fragilem, mollem mutata, epiphyses ab ossibus sejunctae, interdum quoque interstitia musculorum crurum brachiorumque secundum *Lindii* observationes (2) pure impleta, cerebrum vero immutatum et normale est.

DIVISIO.

Secundum rationes multas scorbutus vario modo dividi potest; sin potissimum ejus decursum respicimus, distribuitur in acutum, qui celeriter et brevi tem-

---

(1) In: Trötter l. c. p. 67.

(2) J. Lind. Abhdlg. vom Scharbock, p. II. cap. VII. p. 394.

pore decurrit et fere idem ac febris putrida est, et chronicum, sicut plerumque esse solet, qui per menses, immo annos extenditur, crisi solemni omnino caret, rarius tantum febri symptomatica stipatus est.

Dividunt qnoque alii auctores scorbutum in maritimum et terrestrem; haecce divisio non solum manca, sed omnino rejicienda, cum non differat inter scorbutum maritimum et terrestrem, sed iidem sint morbi. Alia est divisio in endemicum, sporadicum et epidemicum; scorbutus endemicus maxime in regionibus illis observatur, in quibus momenta illa causalia omni tempore recenter gignuntur, nec amoveri possunt, quia a loci ipsius statu dependent, in oris maritimis, regionibus paludosis, humidis, frigidis, in Dania, Suecia, Batavia, Britannia, Russia et cunctis terris septentrionalibus. Scorbutus sporadicus singulos homines aggreditur, in quos causae illae et praedisponentes et occasionales vim suam exserere potuerunt; scorbutus epidemicus in oppidis obsidione clausis, navibus, ergastulis, carceribus potissimum exoriri solet, quia hic momenta plura noxia vim suam per homines multos dispergere possunt. Non defuerunt, qui scorbutum diviserint in haereditarium, innatum et acquisitum, sicut *Horstius* (1), qui dicit: »scorbutum a parentibus liberis jure hereditario possidendum legatum esse.« —

Ab aliis autoribus scorbutus dividitur in simplicem, regularem, quem descripsi et complicatum cum aliis morbis, plerumque chronicis, exempli gratia cum

---

(1) Horst in tractatu de scorbuto.

lue venerea, exanthematibus, arthritide, hydrope. Omnes hae complicationes, imprimis cum lue venerea inter numerum morborum gravissimorum et maxime pertinacium referendae sunt. Mercurii usu interno mali hujusce symptomata omnia pejora fiunt; morbum illum, radesyge vocatum, quidam ex morbo venereo et scorbuto conjuncto ortum putant.

Nec etiam scorbutus omnia symptomata illa, de quibus supra locutus sum, ostendit, sed saepius alia deficiunt, alia nova accedunt, quibus singulae quaedam et diversae species scorbuti nascuntur, quarum potiores sunt:

1) Purpura haemorrhagica, morbus maculosus *Werlhofii* (1), peliosis *Swediaur*, s. stomacace universalis *Sauvage*, petechiae chronicae *Harless* etc., cui interdum prodromi nonnulli, lassitudo, animi tristitia et morositas, immo vomitus et diarrhoea antecedunt; subito maculae rotundae, rubrae, violaceae, immo nigrae, interdum confluentes, varia magnitudine existunt, quae per totam cutem sparsae sunt. Nonnulli scriptores contendunt, eas interdum pruritum excitasse, et scalptas, sanguinem nigrum, ad crustas indurescentem fudisse (2). Quae maculae primum in cruribus, tum in brachiis et trunco, rarius in manibus et facie se ostendunt; *Biett* vero palpebras his maculis obtectas se vidisse affirmat; observatum quoque est, maculas, partes crinibus obtectas occupasse (3).

---

(1) ej. op. med. tom. II. p. 540.

(2) Lentin's Beiträge, tom. IV. pag. 224.

(3) Hufeland's Journal tom. XVIII. St. 1.

Saepe macularum eruptionem haemorrhagiae vehementiores comitari solent. —

2) Altera scorbuti varietas est, scorbutus potatorum, qui homines seniores, potui spirituosorum, inprimis spiritus frumenti maxime indulgentes, plerumque invadit. Talium hominum jecur potissimum afficitur, intumescit, dolet, alvi sedes propter retentam bilis secretionem, durae ac rarae, vomitus, digestio depravata, cordis impulsus debilis et parvus, magna, minimo aegri motu adducta anxietas cum multis aliis scorbuti signis adsunt. In cadaveribus hocce morbo mortuorum, hepar induratum, sanguine carens, vesiculam felleam fere vacuam, cor molle, pallidum, flaccidum et musculos abdominales in massam quandam, quam Galli »adipocire» vocant, mutatos invenimus.

3) Ulcus noma, stomacace, quae non solum infantes, sed etiam adultos invadit. Primum animadvertitur gingivarum pruritus; illae intumescunt, rubescunt, dolent, fungosae redduntur, et sub minima frictione sanguinem emittunt, a dentibus saepe excidentibus secedunt et multis, malignis ulceribus obtectae sunt, quorum sanies una cum saliva tenui, foetida, acri genas, labia, immo tonsillas, velum palatinum et fauces corrodunt, ita ut aegroti nec masticare nec devorare, ne loqui quidem queant. Haemorrhagiae periculosae ex variis corporis partibus, alvi sedes copiosae, cruentae, acres accedunt. —

Autores illi, qui acrimoniam peculiarem in scorbuticorum sanguine adesse putaverunt, dividunt in alcalinum, muriaticum et acidum, de quibus postea plura disseram.

Restat, ut pauca adjiciam de contagio, quod in scorbuto adesse *Trotter* (1) et nonnulli alii viri arbitrantur, cui opinioni plerique autores omnino repugnant. Memoratur exemplum insigne, de nauta magno scorbuti gradu affecto, qui per longius tempus eisdem, ac ceteri nautae vasis usus est, cuique semper cum illis consuetudo fuit; nec tamen ullus nautarum ceterorum scorbuto infectus est (2). Facile intellectu, si momenta illa noxia in homines plures vim exserant suam, saepe scorbutum morbi contagiosi natura et specie indutum videri.

MOMENTA AETIOLOGICA.

Omnium primum causa proxima, quae ex causarum remotarum conflictu exoritur, mihi memoranda videtur. Quod igitur ad scorbuti naturam indolemque attinet, aevi cujusvis medici inter se dissederunt, eorumque opiniones, quoad systemata et theorias illas multas in medicina, semper diversae fuerunt. Antiquiores medici, inprimis humoralistae, acrimoniam quandam peculiarem in scorbuticorum humoribus adesse supponunt. Quum enim in scorbuticis maxima ad haemorrhagias proclivitas, sanguinis tenuitas et dissolutio insignis observetur; serum illud in pericardio aliisque corporis cavis repertum, acre sit et manus immo corrodat; ex ulceribus quoque sanies, materia propria et singulari impraegnata, effluat: eo majore jure hanc acredinem specificum illud et scorbutum gignens momentum habendum putaverunt. Imprimis hanc ideam

(1) Rust's Handbuch der Chirurgie, tom. XIV.

(2) Memoires de l'academie des sciences 1699. p, 237.

coluit *Boerhavius* (1), qui secundum variam hujus acrimoniae naturam, scorbutum in muriaticum, acidum alcalinum et rancidum dividit. Omnino vero haec de scorbuti natura, idea refutanda, quum non solum acredinis illius praesentia demonstrari non possit, sed etiam scorbutus longe alio modo oriatur; adjiciam insuper, *Lindium* scorbuticorum sanguinem gustasse, nec ullum inde saporem in lingua animadvertisse. *Ch. Hoffmann* (2) in humore osseo perdito causam posuit proximam, quem putrescere indeque per corpus humanum, hucusque sanum propagari, et omnium primo ossa afficere putat.

Nonnulli medici, inprimis *Pringle* (3) humorum et maxime sanguinis dissolutionem putridam accusant, cujus opinionis haec argumenta afferunt: malam et fere putridam gingivae constitutionem, ulcera maligna, gangraenosa, facilem in sphacelum transitum partium laesarum, ad haemorrhagias inclinationem, sanguinem ipsum tenuem, omnis fere fibrinae expertem, sero abundantem, placentam aut nullam, aut tenuem, friabilem viridescentem. Acidorum mineralium et vegetabilium, plurimorumque remediorum antisepticorum effectus salubres hanc de putredine theoriam confirmare videbantur. Sin vero hoc spectamus, scorbutum in terris septentrionalibus, frigidis, maxime florere et endemicum morbum esse, frigus vero antisepticum insigne, fibrae organicae tonum roborare,

---

(1) Boerhaav. de cogn. et curand. morb. aph. 1153.

(2) Ch. Hoffmann vom Scharbock, Münster 1782.

(3) Pringle's Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee. Wien 1787. §. 515.

omnemque putredinem arcere, omisso momento, humorum putredinem in corpore adhuc vivo omnino esse negandam, hanc opinionem falsam, facile intelligitur.

Viri alii, qui libris suis de scorbuto valde meriti sunt, imprimis *Lind* (1) morbi nostri causam proximam, in partium solidarum debilitatione et relaxatione et tali sanguinis indole ponit, quae ad putredinem inclinat. *Millmann* (2) scorbutum solidorum morbum arbitratur, cujus sedes in musculis sit; causam proximam vim vitalem remotis scorbuti causis sensim diminutam, putat. Nec tamen secundum physiologicas nostras scientias hisce et aliis de scorbuti natura theoriis assentire possumus, cum autores illi aut solidorum aut fluidorum malam constitutionem solam respicerent, neglecta re illa gravissima, et partes fluidas et solidas eidem vitae subjectas et continua ratione mutua conjunctas esse. Apparet, scorbutum in hominibus cachecticis, debilitatis, qui cibis male paratis, difficulter assimilandis vescuntur, aërem corruptum, mephitibus obnoxiis impraegnatum inspirant, in regionibus aut domiciliis humidis, frigidis habitant, maxime vigere. Conditionibus hisce aliisque pluribus, non solum virium energiam debilitari, praevalentem solidorum laxitatem, mollitiem et teneritudinem promoveri, sed etiam digestionem assimilationemque prosterni, metamorphoseos inde nascentis languorem

---

(1) J. Lind, Abhandlung vom Scharbock. p. II. cap. VI.

(2) An inquiry into the Source from whence the Symptomes of the Scurvy and of putrid Fevers arise etc. By F. Millmann. London 1788; aus d. Engl. v. H. W. Lindemann. Berlin 1795.

oriri, nemo negabit, quo malam humorum sanguinisque constitutionem, dyscrasiam et dissolutionem, putredini valde analogam provocari necesse est. Omnia scorbuti phaenomena ex insigni hac humorum et sanguinis dyscrasia et dissolutione, ad quam oxygenii necessarii defectus multum adduxisse videtur (1), concipi possunt, nec ad cunctas illas theorias refugiamus oportet.

CAUSAE REMOTAE.

Inter causarum praedisponentium numerum inprimis referendae sunt: laxa et leucophlegmatica corporis constitutio, animus tristis, morosus et melancholicus, vita sedentaria, pigritia et lassitudo, laborum taedium, victus ciborum paucorum maleque paratorum, aër humidus et vaporibus noxiis inquinatus, domicilia frigida humidaque, morbi chronici, qui imprimis digestionem et assimilationem debilitant, anomalum organorum secretionis et excretionis statum gignunt, sicut febres intermittentes, haemorrhagiae vehementiores (2), hydrops chronicus, icterus, frequentior et per longum tempus protractus hydrargyri, alcalinorum aliorumque remediorum resolventium usus internus.

Ad causas occasionales, multae, quas inter causas praedisponentes jam enumeravi, adjiciendae sunt, imprimis vero:

---

(1) Rust's Handbuch der Chirurgie, tom. XIV.

(2) Burggrav, medicinische Fälle p. 286.

1) Aëris mala constitutio. Quamquam notum est, scorbutum in terris ad septentriones versis, frigidis morbum endemicum esse, nec tamen frigori soli tantum tribui potest, cum effectus illius in corpore humano ad scorbutum gignendum non sint apti. Ad alias igitur aëris conditiones refugiamus oportet, inprimis ad ejus humiditatem (1), quam virium energiam diminuere, corporis laxitatem adducere, omnemque fermentationem et putredinem promovere claret. Ea de causa scorbuto aër humidus, paludosus, nebulosus tantopere favet, tantamque ille adipisci solet malignitatem in Batavia, Anglia, Dania, ceterisque terris septentrionalibus. Simili modo aër calidus et humidus; peregrinatores memorant, scorbutum in terris calidis vehementer saevire, quo patet, nec frigore, nec calore solo scorbutum provocari. Nec tamen hae aëris conditiones solae accusandae, cum alia adhuc momenta restent, quae scorbuti ortum singulariter adjuvare valeant; sic illius in aëre principii, quod ad vitam conservandam necessarium est, defectus, grave momentum est. Si in oppidis obsidione clausis, navibus, carceribus, domiciliis subterraneis, humidis, brevi in locis angustis, magna hominum copia refertis, aër illorum exhalationibus depravatur, homines scorbuticos evadere, saepe videmus, eoque citius, si aër, mephitibus illis foetidis et vaporibus noxiis inquinatus, ventillatione continua non removetur. In locis paludosis, humidis, ad lacus vel maria sitis et stagnorum

---

(1) Bacheracht, mémoire sur le scorbut etc.

vaporibus et vegetabilium, concharum, piscium aliorumque animalium putredine, quae in littore humido, retrocedente mari, relinquuntur, aër plane perditur. Inde homines, loca uliginosa, paludosa, domicilia misera, subterranea habitantes, aut carceribus, nosocomiis refertis, inclusos, qui insuper omnes vitae miserias patiuntur, maximis scorbuti gradibus affici, mirari non possumus.

2) Animi affectus deprimentes, tristitia et moeror multum ad hunc adducendum morbum conferunt, qua de causa homines hypochondrici, de salute vitaque felici fere desperantes, pauperes quoque et incarcerati, qui in maximis miseriis versantur, facile scorbuto plectuntur, cui accedit, ut in illis plerumque plura momenta causalia conveniant. Simili modo animi motus laeti permultum ad scorbutum sanandum valent, cujus rei *Blane* (1) insigne exemplum profert, pugna navali gloriosa commissa, scorbutum omnino et subito fere evanuisse.

3) Fructus ciborum parum nutrientium, difficile assimilandorum non omittendus; huc inprimis carnes suillae salsae, fumoque induratae, pisces semiputridi, cibi e farina mala, mucida parati, non bene fermentati, omnino res, quae oxygenii parum continent, quibus nautae in itineribus maritimis longis saepe uti coguntur, vegetabilium recentium defectus, referenda sunt. Sal vero marinum, quo nautae saepe fruuntur, scorbutum inducere, sicut multi autores putant, plane

---

(1) Blane l. c. p. 73.

rejiciendum, quod *Lind* (1) affirmat. Defectum vero vegetabilium non solum accusandum esse, ea re liquet, nautas indicas, qui solis illis fere vescuntur, maxime in scorbutum irruere (2). Potus malus quoque bene notandus, veluti usus aquae depravatae, palustris, partibus vegetabilium animaliumque putrescentium inquinatae, ipsius quoque marinae, cui substantias, valetudini infestissimas, ut bromum et jodum inesse, negari non potest. In navibus, ubi saepe aquae purae, cerevisiae satis fermentatae vel vini inopia adest, haec res est magni momenti.

4) Laboris et exercitii modici defectus, unde fit, ut homines, vitam otiosam, pigram et sedentariam degentes ad omnes morbos chronicos et scorbutum inclinent; modicos, viribus aptos labores, virium energiam augere, omniaque corporis systemata, praecipue digestionem et sanguificationem normalem sustinere, sponte liquet. Aeque vero nimii labores, quibus vires exhauriuntur, quiete necessaria non data, obnoxii sunt, quare saepe milites et nautae et die et noctu ad labores gravissimos perficiendos coacti, nullo tempore vires exhaustas somno recreandi, dato, facillime, aliis momentis causalibus adjectis, scorbuto succumbunt.

5) Abusus remediorum antiphlogisticorum, alcalinorum, narcoticorum, inter quae opium memorandum, imprimis vero hydrargyri, si per longius tempus porrigitur. Quod remedium assimilationem digestionem-

---

(1) J. Lind, vom Scharbock. cap. II. p. 84 sqq.

(2) Rust's Handbuch der Chirurgie, tom. XIV.

que maxime perdit, tantamque humorum gignit tenuitatem, ut ptyalismus, alvi sedes copiosae, putridae, sanguinolentae, sudores nimii exhaurientes existant. Humorum crasis perditur et ad putridum fere statum perducitur, simulque solidorum laxitas magna existit; accedunt ulcera maligna, gingivae putredo, hydrops, aliaque pessima symptomata. Cadavera, hacce cachexia interemtorum, celerrime in putredinem abeunt. Praeter has causas, memoratu insuper dignae: nimia humorum jactura, sicut blennorrhoeis chronicis, haemorrhagiis, diarrhoeis, quibus corporis lassitudo et debilitatio et denique diathesis scorbutica evolvitur. Neque minus sanguinis circulatio impedita, ut in cyanopathia etc., statum quendam, scorbuto analogum, adducit.

Quo plures, quas hucusque enumeravi, causae conveniunt, eo majore malignitate et vehementia scorbutum procedere apparet, eaque de causa scorbutus maritimus, ad quem provocandum omnia fere momenta causalia suam partem contribuunt, gradus maximos et periculosissimos assequi solet.

VITA.

Ego, *Augustus Wilckinghoff*, Rheinae, Guestphaliae oppido, anno hujus saeculi decimo tertio, die XXVIII Aug. natus et catholicae fidei addictus sum. Patrem optimum, *Henr. Joan. Wilckinghoff* jam dudum morte mihi ereptum, lugeo, matrem vero *Mariam Annam* e gente *Morsbach* adhuc vivam pia mente veneror. Primis litterarum elementis in urbe patria imbutus, adii gymnasium Monasteriense, quod Cel. *Nadermann* directore floret, in quo per annos septem litteris operam navavi. Testimonio maturitatis munitus, autumno hujus saeculi tricesimi secundi Universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam petii, ibique ab Ill. *Walter*, t. t. rectore magnifico inter cives acade-

micos receptus, et ab Ill. *Harlefs*, t. t. decano maxime spectabili in album ordinis medici relatus, per annos duos hisce praelectionibus interfui: Ill. *a Calker* de psychologia et logice; Ill. *G. Bischoff* de physica et chemia experimentali; Ill. *Goldfufs* de zoologia; Ill. *Noeggerath* de mineralogia; Ill. *Treviranus* de botanice; Ill. *Mueller* de encyclopaedia et methodologia artis medicae; Ill. *Mayer* et Ill. *Weber* de anatomia generali, speciali et comparata, quos quoque duces habui in arte cadavera rite dissecandi; Ill. *Mayer* de physiologia; Ill. *Albers* de pathologia tam generali quam speciali et de morbis syphiliticis; Ill. *Wutzer* de chirurgia et de arte fascias applicandi; Ill. *Nasse* de therapia generali. Bonna deinde relicta, tempore autumnali anni MDCCCXXXIV. Berolinum me contuli, et ab Ill. *Steffens*, t. t. rectore magnifico civibus academicis, et ab Ill. *Busch*, t. t. decano spectabili medicinae studiosis adscriptus, interfui praelectionibus Ill. *Bartels* de pathologia et therapia speciali; in exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis nec non obstetriciis, Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff*, Cel. *Truestedt*, Ill. *Rust*, Cel. *Dieffenbach*, Ill. *Juengken*, Ill. *Kluge* ducibus gavisus sum.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago maximas.

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ligatura arteriarum torsioni praeferenda.
2. Existit pleuritis vera simplex.
3. Asthma Millari et angina membranacea inter se differunt.
4. Crustae pleuriticae nec praesentia ad venaesectionem iterandam, nec ejus absentia ad eam omittendam indicationem statuere potest.